

Inventario di beni

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Inventario di beni

1322-01-23

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo secundo, die vigesimo tertio mensis ianuarii, sexte inditionis apud Palitium. Regnante Serenissimo Domino nostro Rege Roberto Dei gratia inclito Hierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Folcalquerii, ac Pedemontis Comite. Regnorum suorum anno quartodecimo feliciter Amen.

Nos Guglielmus de Cutrono iudex terre Palitii, Nicolaus de Sancto Paulo regius publicus Notarius per totum Iusticiariatum Calabrie ordinatus, et testes infrascripti ad hoc vocati specialiter, et rogati presenti publico instrumento notum facimus, et testamur quod vir nobilis Riccardus de Maida, procurator vir nobilis Gugliemi Ruffo de Sinopolo coram nobis presentibus arrestavit, seu coepit pro parte eiusdem Domini Gugliemi in terra Palitii infrascriptas res que erant in predicto Castro sub custodia Raimundi de Busca olim Procuratoris in ipsa terra virorum nobilium Guglielmi, et Bartholomei de Busca olim dominorum ipsius terre, que tales erant, videlicet. Vegetes duas, quarum una est salmarum septem, et alia capacitatis salmarum decem vini, et caldariam unam de hore. Item barile unum, tripodem unum ferrum, carpitam unam, et paria linteamina duo. Item carpitam duas et mataratium unum in partem combustum. Item utres tres, et sportam unam de virgii pro pane reponendo. Item mappas mensales tres. Item quartarium unum, et capsam unam. Item et cultram unam eidem Raimundo pignoratam pro tarenis duobus, ut idem Raimundus asseruit, et carpitam unam quam habebat in pignorem pro granis septem. Item et ligones tres quas habebat in pignore idem Raimundus ut asseruit pro

granis quindecim. Item cicerum novorum salmas duas ad eandem salmam, et fabarum salmam unam et tumulos quatuor ad eandem salmam. Item fabarum novarum tumulos duos. Item vegetem unam vacuam, et somerium unum pilature nigre ac ronsinum unum pili ferranti. Item scutellas de terra duodecim et tallenos duos ligneos, et vellera tria ovium. Item salis quartonem unum. Quas idem Riccardus de Maida nomine, et pro parte dicti Guglielmi Ruffi, Madio Gervassi de eadem terra Palitii, Procuratori eiusdem Guglielmi in terra Veteris Brutiani custodiendas, et salvandas usque ad eiusdem Guglielmi beneplacitum assignavit.

Die supradicto in nostra predictorum Iudiciis, Notariis, et testium presentia. Quod vero superius in quarta linea ubi legitur Sinopolo abrasum est, et per me supradictum Notarium abrasum extitit, et emendatum, non vitio, et errore. In cuius rei testimonium, et dicti madii cautelam, et ut de premissis eidem Guglielmo fieri valeat plena fides, factum est exinde praesens publicum instrumentum, scriptum et subscriptum per me notarum supradictum, et meo solito sigillo signatum, nec non qui supra iudicis, et testium subscriptorum signis, et subscriptionibus roboratum. Datum anno, die, mense, loco, et inditione premissis. † Ego Guglielmus de Cutrono Iudex terre Palitii testor. † Ego Presbiter Michael Protopapa Palitii interfui et testor. † Ego Robertus de Bittonio predicta testor. † Ego Nicolaus de Sancto Paulo Regius publicus qui supra Notarius predicta scripsi, et me subscripsi.